



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De mutatione episcoporum. lxxvii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

amare, & diligere: potius etiam Ecclesia episcopo suo in omnibus obedire, eumque amare, & diligere ut animam suam debet: quia illud fit carnaliter, istud spiritaliter. Et sicut vir non debet adulterare uxorem suam: ita nec episcopus Ecclesiam suam, id est, ut illam dimittat, ad quam consecratus est, absque inevitabili necessitate, aut apostolica vel regulari mutatione, & alteri se ambitus causa coniungat. Et sicut uxori non licet dimittere virum suum, ut alteri, vivente eo, matrimonio se societ, ut eum adulteret, licet fornicatus sit vir eius, sed iuxta Apostolum, aut viro suo debet reconciliari, aut manere innupta: ita Ecclesiae non licet dimittere episcopum suum, aut ab eo se segregare, ut alterum eo vivente accipiat: sed aut ipsum habeat, aut innupta maneat, id est, ne alterum episcopum suo vivente accipiat, ut fornicationis, aut adulterij crimen incurrat. Nam si adulterata fuerit, id est, si se alteri episcopo iunxerit, aut super se alterum episcopum adduxerit, aut esse fecerit, vel desideraverit, per acerrimam poenitentiam, aut suo reconcilietur episcopo, aut innupta permaneat.

De mutatione episcoporum.
Caput LXXVII.

Ex epist. Antheri papae episcopis per Heticam atque Tolitanam provinciam constitutis missa, cap. 14.

DE mutatione ergo episcoporum unde sanctam sedem apostolicam consulere voluistis, scitote eam communi utilitate atque necessitate fieri licere, sed non libitu cuiusquam aut dominatione. Petrus sanctus magister, & princeps apostolorum de Antiochia utilitatis causa translatus est Romam, ut ibidem potius proficere posset. Eusebius quoque de quadam parva civitate, apostolica autoritate translatus est Alexandriam. Similiter Felix de civitate in qua ordinatus erat electione civium, propter doctrinam & bonam vitam quam habebat, communi episcoporum & reliquorum sacerdotum ac populorum consilio translatus est Ephesum. Non enim transit de civitate ad civitatem, qui non suo libitu, aut ambitu hoc facit, sed utilitate quadam, aut necessitate, aliorum hortatu, & consilio potiorum transfertur. Nec transfertur de minori civitate ad maiorem,

qui hoc non ambitu, nec propria voluntate facit, sed aut via propria sede pulsus, aut necessitate coactus, aut utilitate loci, aut populi, non superbè, sed humiliter ab aliis translatus & inthronizatus est: quia homo videt in facie, Deus autem in corde. Et dominus per Prophetam loquitur, dicens: Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Non ergo mutat sedem, qui non mutat mentem, nec mutat ciuitatem, qui non sua sponte, sed consilio & electione aliorum mutatur. Non igitur migrat de ciuitate ad ciuitatem, qui non auaritiæ causa spontè dimittit suam: sed. vt iam dictum est, aut pulsus à sua, aut necessitate coactus, aut electione, aut exhortatione sacerdotum & populorum translatus est ad alteram ciuitatem. Nam sicut episcopi habent potestatem ordinare regulariter episcopos, & reliquos sacerdotes: sic quoties utilitas, aut necessitas exposcerit, supradicto modo & mutare, & inthronizare potestatem habent.

De eadem re. Cap. LXXVIII.

Episopus aut presbyter vxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abiiciat. Si verò reiecerit, excommunicetur. Sed si perseuerauerit, deiiciatur. *Ex cano. nibus a- posto.*

Item ex eodem. Cap. LXXIX.

Osius episcopus dixit: Non minus mala consuetudo, quàm perniciosa corruptela funditus eradicanda est, ne cui liceat episcopo de ciuitate sua ad aliam transire ciuitatem. Manifesta est enim causa, pro qua hoc facere tentat: quum nullus in hac re inuentus sit episcopus, qui de maiore ciuitate ad minorem transfret. Vnde apparet auaritiæ ardore eos inflammari, & ambitioni seruire, & vt dominationes agant. Si omnibus placet, huiusmodi pernicies sæuius & austerius vindicetur, vt nec laicam communionem habeat qui talis est. Responderunt vniuersi: placet. *Ex cõcil. Sardicēsi. Cap. 1.*

De episcopo qui in sua fuerit persecutus Ecclesia, quòd ad aliam ei sit fugiendum.

Cap. LXXX.